



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Annvs Sanctvs Ac Fortvnatvs**

**Coloniæ Agrippinæ, MDCXLVIII**

Praxes XII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53246)

*Annuntiata magno cum fructu per totum orbem in-  
duxit. Age hunc imitare: & si tibi modi, rationesq;  
Patronos colendi desunt, cum XII. Patronis utriusq;  
sexus, etiam XII. praxes colendi Sanctos menstruos  
vel annuos ex Breviario Romano, ex Surio, exq;  
Fastis Marianis accipe, utere, hisq; felix evade.*

### PRAXES XII.

*Colendi Sanctos Patronos Menstruos vel Annuos.*

1. Electioni interfaturus, recita, Veni Creator Spiritus &c. cum Collectâ, oraque DEVM vt mittat tibi Patronum animæ tuæ vtilem ac profuturum.
2. Sorte tibi datum Patronum accepta, exosculare, gratias DEO age, req; illi commenda.
3. Imaginare semper tibi eum adesse omni loco ac tempore: honora eum: nihil in nomine eius petitum negato.
4. Caue aliquid agas, dicasue coram eo, quod coram honesto viro agere vel loqui pueret.
5. In omni tua necessitate corporis & animæ ad Patronum tuum recurre, opem pete, cum eo precibus luctare, vt Iacob cum Angelo.
6. Omni die fac aliquid in honorem illius, maximè vero eius festo; Confitère peccata; Communica; profesto ieiuna; Eleemosynam da; missam audi; mendicum ciba; fac disciplinam; gesta cilicium, vel cingulum; ora rosarium &c.
7. Lege aliquoties Vitam Patroni. nota Virtutes. stude imitari.
8. Obserua diligenter piam, quam tibi quasi à  
Deo

- Deo secum adfert Patronus sententiam.
9. Virtutem adscriptam in honorem Sancti omni die cole.
  10. Ora quotidie ad intentionem in imagine Sancti adscriptam.
  11. In fine Anni vel mensis gratias age Patrono pro patrocinio impenso.
  12. Ora, vt in fine vitæ adesse velit tibi agonizanti, ac opem ferre.

M O D V S

*Orandi, ac offerendi se quotidie, B. Virgini aliq;  
SS. Patronis.*

SANCTISSIMA Virgo MARIA, S Ioseph, ac Sancte N. Patrone mihi dilectissime, Ego licet sancto conspectu vestro indignissimus, fretus tamen pietate vestra mirabili & impulsus DEO, vobisq; seruiendi desiderio, eligo vos hodie coram curia cœlesti vniuersa in meos peculiare Dominos ac Patronos, firmiterq; propono me impostero vos secuturum, curaturumq; vt ab alijs quoque vobis seruitium exhibeatur. A vobis ergo Patroni mei clementissimi per Sacratissimum quem pro vobis, nobisq; Dominus noster IESVS Christus æterni Patris filius sanguinem fudit peto suppliciter, vt in eorum, qui se vobis deuouerunt numerum admittere dignemini in seruitium perpetuum, & mihi à DEO gratiam impetrate, vt in cunctis cogitationibus, verbis atque operibus ita me habeam, vt nihil vnquam ex me, neque DEI, neque vestris oculis displiceat, sitisq; memores mei, opemq; ferre nunc & in hora mortis meæ. Amen.

S.